HONOR SUPREMUS,

QUO
EXEQUIAS
VIRI
PRÆNOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI
DOMINI

M. MICHAELIS Gehrke/

GRÆCÆ LINGUÆ IN HAC ALBERTINA PROFESSORIS ORDINARII MERITISSIMI,
QUI
TERTIO ET QUADRAGESIMO ÆTATIS ANNO, DIE XIV. JUNII MDCCXXI. PIE PLACIDEQUE OBDORMIVIT,
EJUSDEMQUE MENSIS XXI. DIE SEPULCHRALI PROFESSORUM CONDITORIO ILLATUS EST,
PROSECUTI SUNT
MAGNIF. RECTOR ET SENATORES REGIÆ ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

REGIOMONTE,
LITTERIS REUSNERIANIS.

QUi solitus linguæ Grajorum tradere jura;
Lætus jam linguâ carmina Græca canit.

Trist pos.

Joh. Stein / D.
h. t. Acad. Rector.

NUm quid tecta poli præstat ascendere mente,
Mentem quam jungi corporis exuviis?
Haud puto: sincerum non linquit amicus amicum:
Alter ab alterius vitat amore trahi.
Fallor! namque SOPHUS Noster contraria fatur:
Mens socium peramat: semper amare nequit.
Scilicet en! inopina venit: quæ tetrica mors est:
Invitos cogit; corpus, amice, Vale!

Henricus Lysius, D.
S. Theol. Prof. Primarius, Fac. suæ Sen. & h. t. Decanus.

IN terris cessans profiteri γράμματα Græca,
Angelicâ linguâ prædicat acta poli.
Conscendit summum culmen sapientia diva,
Terra ingrata cui præmia digna negat.
Sic pulchrè sapiens laudatur morte Professor,
Et commendatur mœsta Relicta DEO.

posuit

Christianus Masecovius,
S. Theol. D. & Prof. Secund. Ordinar.

QUi reputat secum, quàm turbida tempora rerum,
Huic, puto, vita brevis creditur esse lucro.

m. p.

Johan. Amsel / D.
Prof. Jur. Ord. Sec.

Ire



IRe per ingentes ſtudiorum plurima tractus
Qui juvenum adſueſcis ſedulus ingenia,
Quique frequens, GEHRKI, Græcorum florida tempe,
Dum cupit hoc Comitum copia, ductor adis,
Quo nunc, quo properas? cur tanta negotia rumpis?
Nonne vides quot te, fide Magiſter, amant?
Scilicet officium ponis, vitamque relinquis,
Id citius juſto fata ſiniſtra volunt.
Sed properent, quantum poſſint, tibi ſemper amoris
Diſcentum et meriti fama ſuperſtes erit.

l. mq.
ſcr.

Georgius Raſt,
Med. D. Profeſſ. Primar. Facultatis
ſuæ Senior.

Ad beatè Defunctum Profeſſorem Græcum.

QUi non græca ſimul junxit documenta Latinis,
Ille Viri DOCTI nomen habere nequit.
Junxiſti Latio, doctas conſtanter Athenas,
Doctor ut in linguâ doctus utrâque cluas.
Ad Sanctam properas loquitur quam Doctus Apeila,
Ut poſſis ſanctè Doctus ubique loqui.

Cond. pon.

Georgius Emmerich,
D. & Prof. Ord. Conſul. Lœbnic.

LUgubres merito miſces Academia leſſus,
Dum GRÆCUM rapuit mors inopina tuum.
Dignus enim fuerat prolixæ tempore vitæ,
Et ſueta rebus laude præeſſe ſuis.
Hic dum vivebat, verus mihi ſemper Amicus,
Ac Collega fuit fidus & egregius:
Sed qui carus erat nobis, eſt carior Illi,
Qui regit arbitrio ſingula fata ſuo.
Attamen haud quaquam ſic incelebratus abibis,
Dignum laude Virum Muſa perire vetat.

Vita

Vita Tibi brevis eſt, brevis eſt Tibi ſic quoque ſudor,
Ac operæ merces inſinuata cito.
Aſt: ubi ſunt, capitis ſplendor, ſortisque columna
Illa meæ? lacrymans orba Marita gemit!
Deplorant pariter ſua triſtia fata Sorores,
Imo Caput lugens integra Familia.
Condoleo. DEus ipſe ſuo ſolamine cunctis
Adſit, quos ſubita hæc mors premit atque ferit!

In memoriam Collegæ ſui deſideratisſimi hæc poſuit

Joh. Bernhardus Hahn/
Phil. & S. Theol. D. Linguar. Oriental. Prof. Ord.
& h. t. Fac. Phil. Decanus.

DEbilis & Senio non tantum corpore feſſus,
Sed quoque cui validus ſtatque manetque vigor,
Æquali quod ſit ſubjectus funeris horæ,
Exemplum præſens comprobat hocce Tuum.

Condol. ſcr.

Georgius Thegen,
Phil. Pract. P. P. Ord. Academ. Senior.

MOrs *Profeſſorem Logices*, eheu! abſtulit atra,
Et *Græcum* noſtrum nunc inopina rapit.
Ob *binos*, luget, *collegas* ordo Sophorum
Integer extinctos, & cecidiſſe dolet.
Conjugis aſt mortem plangit vehementius *Vxor*,
Hoc vulnus ſanet, quod precor, ipſe Deus.

lugens ſcribebam

H. v. Sanden, D.
Phyſic. Prof. Ordinar.

DUm patriam repeto, patriam, Collega, relinquis
Terram; ſed patrii ſcandis ad aſtra poli.
Omnibus hoc iter eſt. Peregrini vivimus omnes.
In patriam, cœlum, ſic rediiſſe juvat.

Memoriæ ergo redux poſuit

J. S. Strimeſius,
Eloqu. & Hiſtor. Prof. Ord.

)o(